



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

27. Theodoricus II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

Anno
Christi
1030.

anno primùm 1039. Imperij habenas
susceperit, præponendus Theoderi-
co videatur Bruno, licet ab Vrstifio
eidem postpositus. Brunonem in
anteriori Ecclesiæ crypta sepultum
constat; de die mortis & anno mi-
nimè liquet, nisi quòd anno 1041.
successorem ipsius Theodoricum
jam Basileensium Antistitem claru-
isse extra dubium & controversiam
sit. Memoriam illius facit Necro-
logium Basileense 27. Maij.

1041.

THEODORICVS II.

Basileensis Episcopus.

XXVII.

Theodorico Comitatum Pro-
vincialem in Sigovia unà cum
annexis luribus transcripsit Henri-
cus Tertius anno 1041. Complecti-
tur ea ditio dynastias minores
Farnspergam, Honbergam, Liech-
stadium.

stadium, Vuallenbergam, Havvenstei-
nium, cum reliquis ad Pyrsam locis, *Anno*
& eo vico, ubi olim stetit Augusta *Christi*
Rauracorum, vulgò Augst. Ita cum
Vrstisio lib. 1. c. 10. sentit M. S. codex.
Tanti beneficij, ut par erat, non im-
memorem & ingratum se exhibuit
Theodoricus; dum collectam suis
impensis idoneam militum ma-
num auxiliarem Imperatori submi-
sit, adversus Hungaros, ad instar hy-
dræ per sua damna recrescentes.
Quo facto Theodoricus devincto
sibi magis Cæsaris animo, privilegi-
orum confirmationem obtinuit an-
no 1048. Et is ipse est Theodoricus *1048.*
qui celebri subscripsit Instrumento,
quo B. Hugo I. Archiepiscopus Bi-
fontinus, variis fundis & censibus
dotavit Canonicos S. Pauli VII. Ca-
lend. Aprilis, anno 1044. Imperij
Henrici Tertij decimo sexto, quem-
admodum tradit Iacobus Chiffletius
in Vefontione sua. K s Hoc

Anno
Christi
1044.

Hoc ipso anno Vrbs Delsperga, ut scribit Grossius Basileensis in Epitaphiis, penitus conflagravit, salvis ab incendio tribus solum domibus, cuius etiam fidem adstruit quantumvis longè recentius Epigramma frontispicio Curia Civicae adscriptum. Et quia, dum Basileæ præfideret Theodoricus, Leo IX. Pontifex Max. ex ipsa Diœcesi Basileensi oriundus, ab Insula Tullensi, ad titaram Pontificiam evectus est, piaculo fuerit, hoc loco tanti viri mentionem dissimulasse.

Leo IX. Bruno antea dictus, natione Germanus, gente Alsata à plerisque scriptoribus habetur. Otho Frisingensis quidem è nobili Francorum natum pro sapia tradit. Desiderius, Cassinensis Abbas, & subinde Romanus Pontifex, Victor II. regio stemmate illustrem fuisse Leonem scribit. Vibertus Archidiaconus,

conus, ipsius Leonis coætaneus & familiaris, rerumque ab eo gestarum luculentus scriptor, disertis asserit verbis, Leonem Conrado Salico, adeoque & Henrico Tertio consanguinitate proximum fuisse. Referre placet singillatim de illo, quæ veriora existimem, tum ex Basileensi Proprio tum ex Iacobo Menelio, qui sub finem superioris sæculi, Maximiliani Primi Imperatoris, lustratis variorum locorum Epitaphiis, aliisque priscis monumentis, Principes Austriaci & Habsburgici sanguinis, Sanctitate celebres collegerat. Patrem itaque habuit Leo, Hugonem Dagspurgi, & Egishemij Comitem, qui vitâ piè transactâ, in S. Truthd-
berti apud Brisgovios sepultus est: matrem Heidvvidem, sive Heilv-
gem, filiam Theodorici Comitis ab Egisheim, seu Egsen, in superiore Alsatia, ad radices Vogesi montis,
infra

Anno
Christi
1048.

Anno
Christi
1048.

infra Rubeacum antiquissimum oppidum; vbi hodiè que visuntur tres arces, vel potiùs arcis tripartitæ ruderæ, vulgò *drey Egsen*. His adeo sanguine Regio illustribus, fimùlq; religiosissimis parentibus natus Bruno, quinquennium ubi attigit, Bertholdo Tullensium Episcopo erudiendus traditus est: quo doctore, in litterarum studiis, quas admitteret ætas, & morum honestate insigniter profecit. Ex his auspiciatissimis principiis, in quem olim virum posset evadere puer Bruno, non vanâ utique coniecturâ præscius Cacodæmon, spem de illo conceptam in tenera radice maturè præcidere statuit. Post aliquot annos Adolefcens factus dulcissimos parentes in Castro Egisheim degentes reviserat, ut illos diu absens, & animum molestâ studiorum contentione occupatum, præsentia suâ recrearet; & en,
vete.

Anno
Christi
1048.

veteratorius Ceraſtes in omnes excubans nocendi occaſiones, in faciem dormientis teterrimum bufonem immittit: quæ obſcœna & venenifera beſtia adeo pertinaciter mediæ faciei incubuit, ut Brunoni, lethali venenô doloris ſenſum maximum, & omnibus, qui prodigioſum hoc monſtrum ſpectabant, horrorem incuteret incredibilem. Sed adverſus has Cacodæmonis inſidias, præſentem Cœlum opem minimè diſtulit; dum Benedictum Patriarcham ab addictiſſimo cliente ferventer imploratum, abſtergendæ lui, & revellendo facilè bufoni medicum ſubmiſit præſentiſſimum. Emenſo deinde ſtudiorum curriculo, Tullenſibus Canonicis adlectus, & ſacris ordinibus inſignitus, ob præclaras animi dotes, & quibus eminebat virtutes, ab omnibus ſuſpiciebatur, ipſi Cæſari Conrado,
con.

Anno
Christi
1048.

consanguineo suo, singulariter charus, cuius operâ & consiliis, quamdiu Bruno in aula versatus est, per frequenter utebatur. Quare, vitâ functo Hermanno Tullensi Episcopo succedit discipulus, licet diu multumque tergiversatus, rerum utique longè maiorum à Deo destinatus Administer, ad quas iam velut in propiore tyrocinio se gnaviter præpararet. Novo munere & dignitate tantum abest, ut insolesceret Bruno, quin potiùs illa pristina consecranda mirificæ sanctitatis exercitia, novo studio & contentione plurimum augeret; quæ luculenter enituit in reducenda ad veterem rigorem disciplina Ecclesiastica & Monastica, sublevandis ære alieno, aut dotandis antiquioribus, maxime, quæ instituti D. Benedicti, monasteriis. Apostolorum sacra limina, annis, quoad licuit, singulis præsens vene-

venerari solitus, gravem aliquando
morbum in itinere contraxit: at
rursus alius è Cœlo Patronus ipii
conspicius S. Blasius Martyr, clien-
tem suum, virum Mundo necessa-
rium diuturniori vitæ servavit inco-
lumem. Tanti itaque viri, Romam
usque divulgatâ claritudine, cum
Romanus Clerus Successorem per-
quireret subrogandum Damaso se-
cundo vitâ functo circa annum mil-
lesimum quadagesimum nonum,
præ Leone aptiorem digniorémque
nullum invénit. Quamobrem mis-
sis ad Imperatorem Henricum Le-
gatis, de hac sua unanimi in Bruno-
nem conspirantium voluntate edo-
cent, & magno Ecclesiæ bono Sum-
mum Pontificem pronunciant. Et
verò Cœlum manifestè approbare
visum est hanc electionem, modu-
lato suaviter in via quæ ad urbem
ducit, Angelico concentu: *Ego co-*

Anno
Christi
1043.

gito

Anno
Christi
1049.

gito cogitationes pacis, & non afflictio-
nis. Atque ubi summæ in terris
dignitatis capeffivit insignia, univer-
sæ Ecclesiæ Tutelarem Archange-
lum singulariter sibi demereri stu-
duit, piè institutâ peregrinatione ad
Garganum montem, religiosâ S.
Michaëlis veneratione frequenta-
tum. Vnde, credo, rerum quas ag-
gressus est, successus, qui esse potuit
optabilis. Illud comprimis evicit
admirabili felicitate & sapientiâ, ut
auctoritatem illam, quam in eligen-
dis Pontificibus Romanis, annis
centum & quinquaginta usurpâ-
rent, sibi que plures arrogârunt Im-
peratores, ad Clerum denuò, prout
exigebat rei æquitas, ex integro re-
vocaret, Iurium Ecclesiæ vindex im-
posterum acerrimus. In eam po-
stea curam totus incubuit, ut Eccle-
siæ statum, tum in Oriente, tum in
Occidente, sanè afflictissimum, om-
ni

ni ope sublevaret. Missis Constantinopolim Legatis, Imperatorem primò sibi conciliavit, idque ab eo consecutus est, ut abusus periculosi, & inspersa passim errorum Zizania stirpitis abolerentur. Eius auspiciis, & pari fortunâ, debellata Berengarij hæresis, sublata bonorum Ecclesiasticorum, rerùmque sacrarum Simoniacæ nundinationes, obtrita enormium criminum Seminaria. Secundâ legatione demandatâ Friderico Cardinali, Godefridi Lotharingiæ Ducis fratri, qui postea & ipse fuit Romanus Pontifex Stephanus IX. dissidentes inter se Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum ita emollivit, post Synodum ritè peractam, ut ambo, Clerò reliquò & populò summorum capitum exemplum sequentibus, sacco & cinere piè sordidi, ad Legatum procederent, in eòque A-

Anno
Christi
1049.

L

post-

Anno
Christi
1049.

postolicam Auctoritatem proni ag-
noscerent & veneraretur. Eodem
interim studiò Occidentales Eccle-
sias complexus est, suam præsertim
Tullensem Ecclesiam, cuius titu-
lum semper retinuit. Ne verò de-
ciperetur absens, aut lentiùs proce-
derent, quæ animo sanctè agitabat,
nullis tutiùs, quàm propriis fidebat
oculis. Et hinc tot laboriosæ visi-
tationes Ecclesiarum, celebratæ Sy-
nodi & Concilia, quibus ipse, quan-
tum quidem fieri potuit, præside-
bat: ut nempe summi Pastoris ve-
neranda in terris Maiestas pondus
& momentum maius suâ præsentia
afferret. Ita Moguntia in Germa-
nia, Rhemis in Gallia, Romæ, Pa-
pia, ac Vercellis in Italia coactis Sy-
nodis, collapsam ueterem discipli-
nam ubique pro viribus erigebat.
Pace inter Andream Hungariæ Re-
gem & Imperatorem compositâ,
discor-

discordes quamplurimos alios Principes Christianos concordiae firmo vinculo obstrinxit. Fidem propè superant, quæ præstitit Pontifex verè Optimus ac Maximus, partim in Vrbe, partim in suis Visitationibus, in quibus templa, facella, altaria innumera suis ipse manibus, præsertim in Diœcesi Basileensi consecrabat. Inter alias, S. Martini ædem in Hypolskilcha, seu Sundersdorff. Extat hodiè que facellum infra tres antiquas, sed pridem dirutas arces in clivo Vorburgico, ad extremos vallis Delspergentis sive Delemontanæ fines, quod tradunt jam tum memoriæ S. Himerij Confessoris ab hoc S. Leone fuisse consecratum. In Germaniam secundò profectus, inspexit singulariter in Tullensem Ecclesiam, & Natale solum, aliâ que pia loca olim à se fundata, aut dotata, relictis ubique pietatis & munifi-

Anno
Christi
1049.

Anno
Christi
1049.

centiæ nobilissimis monimentis. VVofenheimij, Monasterio ad sanctam Crucem, Sanctissimæ crucis segmentum, & in Monte-Olivarum vulgò Olenberga prope Reiningam in Alfatia, S. Romani Martyris sacras donavit reliquias. Corpora Sanctorum, Remigij Rhemensis, & VVolfgangi Ratisbonensis Episcopi; sancti etiam Aurelij, Hirsaugiæ; sanctæ Richardis Andlaviæ, aliorumq; honorificentiori loco reponenda de tumbis sustulit. Sed ut ea, quorum meminimus, ad Religionis incrementum, optatū sibi finem perduceret, non Ecclesiasticos duntaxat census, sed relictas à maioribus suis fortunas gentilitias impendit liberaliter, non consanguineis, ut fit, aut Nepotibus ditandis, sed Ecclesiis ac Cœnobiis dotandis. Certè in Alfatia duo illa Monasteria sanctæ Crucis, & Montis-Olivarum à fundamen-

damentis ædificâsse, sed & prædiis, amplissimisque proventibus opulentâsse creditur. Præter hosce publicos labores, quibus se totum impendere visus est, sui interim minimè obliviscebatur: sed privatos intra parietes, divinis commentationibus & ferventi orationis studio, animum Deo arctiùs coniungebat. Et ne quod pretiosi temporis dispendium ullum faceret, si quid vacuum habuit, utiliter illud Græcorum errores confutando, vel musicos & Ecclesiasticos de Sanctis modulos componendo, vel aliâ simili honestissimâ occupatione, nunquã otiosus, impendit. Neque silentio prætermittam, tantæ illum beneficentiæ, tamque celebrem hospitalitatis famâ fuisse, ut eius domus peregrinis ac pauperibus semper pateret. Quem Leonis in egenos commiserationis affectum placuisse

Anno
Christi
1049.

Anno
Christi
1049,

fibi vehementer, probavit ipse Christus evidenti testimonio. Leprosus quidam, aspectu foedus, (fuit ipse Servator hoc schemate personatus) pro foribus aliquando repertus à Leone, benignè deinde ab illo & tennerrima Charitate habitus ac in proprium deportatus lectulum, evanuit derepente ex oculis, & licet postea diligentissimè conquisitus, nusquam repectus est. Leo denique rebus plurimis, teste Baronio tom. 2. fortiter pro Deo & Ecclesia gestis, miraculis etiam clarus excessit è vita Romæ, anno Christi 1054. 15. Aprilis, quo die in Fastis Ecclesiasticis recollitur annua eius memoria, cum non omnino sex annis Romanam sedem tenuisset, ad magna plus conferente animo & virtute, quàm tempore. Conditus est in Basilica S. Petri, juxta tumulum Gregorij Magni; cui vetus Poëta hoc Epitaphio parentavit.

Victrix

Victrix Roma dolet Nono viduata *Anno Christi*

Leone

1049.

*Ex multis talem non habitura
Patrem.*

Nec immeritò, Ioannes Franciscus à Schônauv Basileensis Episcopus, piò ductus Zelo, ad propagandum honorem huius sanctissimi Pontificis, de Germanicis Ecclesiis bene & singulariter meriti, mandavit omnibus ad Horarum Canoniarum recitationem obligatis, in sua Diocesi, de hoc sancto Leone, Officium Ecclesiasticum recitandi.

BERINGERVS

1057.

Basileensis Episcopus.

XXVIII.

THeodoricum in Episcopali munere secutus est, anno circitèr 1057. quo tempore defuncto Hen-

L 4

RIC